



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TABUKENSIS** *NOVUS CONSTITUITUR
VICARIATUS

APOSTOLICUS TABUKENSIS APPELLANDUS

Philippinarum Insularum fideles ob oculos usque versantur, de quibus haud parum sollicitamur, ut floridiorem statum consequantur et humanum spiritalemque progressum obtineant. Quapropter cum Venerabiles Patres, Congregationi pro Gentium Evangelizatione Praepositi, quorum interest accepto favorabili voto, poposcerunt ut novus Vicariatus Apostolicus in illis locis constitueretur, haec quae sequuntur statuimus et decernimus Apostolica Nostra suffulti auctoritate Territorium quod complectitur provincias civiles quas incolae Kalinga-Apayao appellant a Vicariatu Apostolico Montano distrahimus, idque deinde novum Vicariatum Apostolicum constituet Tabukensem positum vero intra Provinciae Ecclesiasticae Tuguegaraoanae terminos atque apostolicis curis Congregationis Immaculati Cordis Mariae sodalium demandatum. Ipsius porro fines iidem erunt ac duarum Provinciarum civilium quas Kalinga-Apayao vocant. Episcopi insuper Vicarii Apostolici Pro Cathedra in templo ponatur Sancto Villedo Eremitae dicato, eodemque in urbe Bulanao sito. Ad haec tandem perficienda Venerabilem Fratrem Ioannem Vincentium Moreni, Archiepiscopum titulo Turrensis in Mauretania legamus, factis opportunis facultatibus etiam subdelegandi quemvis alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Authenticum exemplar demum actae rei ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittatur, quibuslibet rebus minime officientibus.

Datum Romae apud S. Petrum die sexto mensis Iulii anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 1, pp. 8-9

© Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana